

Vides enim illos ipsos etiam elatos, inflatosque ut plurimum homunculos. Vera Physices Hermeticæ principia: ac imprimis Acetum illud Naturæ unicum, universale, ætheriū, omnia & singula sublunaria corpora vere solvens, & in primam sui materiam perducens ignorare: ac insuper in indagandis Naturæ mysteriis cæcutire, a vero aberrare, & delirare plurimum.

SYLVIVS. Sed iam progrediamur in instituto nostro: per-
lustravimus hætenus, Theodore, Simplicia, ut vocant, mi-
neralia, & vegetalia: Nunc tandem adicias velim simplicia
quædam Animalia, cum primis Solaria, & Balsamica.

THEOD. *Alees ungula*, epilepsiæ, aliisque capitis morbis peculiariter opitulatur.

Bezoar, lapis: pesti, cunctisque venenis obsistit.

Caponum, & Gallinarum carnes; calidæ & siccæ temperate: harum destillata ventriculum, & cor roborant.

Cancrorum lapilli: frigidi, & sicci secundo ordine, sanguinem corruptum, & obstructum dissoluunt, & expellunt, calculosque confringunt.

Castorium, calidum, & siccum tertio ordine: cerebro, nervis, & matrici addictum.

Cornu cervinum; calidum & siccum secundo ordine: cornu unicornis efficacissimum æmulatur.

Cornu unicornii: omnium maxime creditur cor tueri: veneni vim omnem obtundere, & pestilentium morborum perniciem lenire: ut Fernelii verbis utar.

Lupi, piscis, maxilla: pleuritidem præcipue tollit.

Ova recentia: calida, & sicca primo ordine.

Sanguis hircinus: calidus & siccus secundo ordine: præcipue vesicæ calculis, & renum arenulis discutiendis, & expellendis natura accommodus.

Viperina carnes: quæ si commode præparentur, inter alexipharmaca principatum obtinent.

Hætenus simplicia animalium, præcipue Solaria.

SYLVIVS. Nonne vero, Theodore, simplicia illa frigidiora, quæ enumerasti, magis sunt Lunaria, quam Solaria?

THEOD. Si qualitatem, & frigidioram temperaturam spectes, Lunaria sane dici queant: Sed tamen quo ad opobalsamum illud cæleste, & visificum, alexiterium, pro Solaribus tantummodo haberi possunt.

SYLVIVS. Quod ista hætenus mihi recensuisti, Theodore, rem sane fecisti gratissimam. Ex quibus liquido apparet, a

R R R Phy-

Simplicia
animalia
Solaria

Hort.
Med. par.
2. c. 2. II

Simplicia
frigidioris
naturæ
quatenus
sunt Solaria

Simplicia
qualitates